

missi Verbi Ministri modeste se gerant, et in terminis dictorum negotiorum se contineant, adeoque si in Ciuitatibus Imperialibus aut alibi eiusmodi commeatus consuetudine illigentur, ea rata sit. l. c. p. 384.

§. XI.

At silentio haec inuoluebant Catholici in suo, quod isti opposuere, Proiecto, Euangelici vero denuo vrgebant rem in Differentiis mense Ianuario 1647. collectis, *ibid. pag. 397.* neque tamen conuentum est inter partes in Colloquiis super his Differentiis vltro citroque habitis, *ibid. p. 410. seq.*

§. XII.

Hisce non obstantibus Euangelici denuo in Proiecto Pacis m. Apr. 1647. conscripto postulauerunt: *art. 16. §. 10. Euangelici vero Catholicorum, tam Ecclesiasticorum, quam Secularium Magistratum subditi, praesentes et futuri, qui neque longo usu, nec singularibus pactis innituntur, vna cum liberis et Domesticis priuata saltem et diuinitus concessa conscientiae libertate gaudeant. Idemque de Catholicis Euangelicorum praesentibus futurisque subditis Iuris esto. Nec omnino quisquam ob Religionem sua distrabere et solum vertere cogatur etc. vt supra) B. Antecessor HOFFMANN. in Scr. rer. per German. ad Transact. Passau. gestar. Tom. 2. p. 96.*

§. XIII.

Tandem in Proiecto vltimo m. Iun. 1647. excuso haec admisere Legati Augustissimi Imperatoris *art. 12. Illi vero Catholicorum subditi Augustanae Confessioni addicti, vt et Catholici Augustanae Confessionis Statuum subditi, qui An. 1624. publicum aut priuatum Religionis exercitium nulla Anni parte obtinuerunt, quotquot eorum tempore publicatae per Imperii Circulos praesentis Pacificationis in vnus vel alterius Religionis Statuum immediatorum Ditionibus habitare deprehenduntur, quibus etiam ii annumerandi erunt, qui,*

qui,